

33. *An afflictiones etiam alias creaturas attingant, quam homines? Ita est. Nam creaturæ irrationales, ut equi, boues &c. nō solum obnoxia sunt vanitati ministerij, sed etiam afflictionis.*

34. *Qua rationes nos ad crucem patienter ferendam impellere debeant? Voluntas patris nostri cœlestis, exemplum Christi & sanctorum, denique infinita crucis utilitas.*

CAPVT XXXIV.

De Libertate Christiana.

I.

Q*uid sit libertas in genere? Est status ingenuorum. Ingenui autem dicuntur, qui non sunt obnoxij seruili conditioni, neque etiam præditi sunt seruili ingenio. Suntque tales vel nati, vel facti. Qui liberi, seu ingenui sunt nati, illi nunquam serui erunt: quales se profitebantur iudæi *Iob. 8. v. 33.* Qui vero desierunt esse serui, & quos ille domini ex justa seruitute manu miserunt, illi proprie dicuntur liberti: Nostra spiritualis libertas consistit in manumissione & liberatione. Neque enim nos nascimur liberi, sed fimus liberi. Proinde nullus Christianus est mere ingenuus, sed libertus, id est, factus ingenuus.*